

**Casparo Commelino et Corneliae Jacobae Backeriae sponsis feliciter / [Pieter Burman].**

**Contributors**

Burman, Pieter, 1668-1741.

**Publication/Creation**

[Leyden] : [publisher not identified], [1727]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qhvde3uy>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



CASPARO COMELLI

CONTRIBUTOR

1902

...

...



... & or  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

Jan

A



CASPARO COMMELINO

ET

CORNELIAE JACOBAE BACKERIAE

S P O N S I S

FELICITER.

D Icebam tibi, contumax, & ore  
Duro frena pati negans Diones,  
Necti retia callidosque nodos.  
Dicebam tibi, COMMELINE follers  
Ridere infidias dolosque Amoris,  
Arcum jam sinuare, subdolumque  
Sagittas Puerum parare furtim.  
At tu fortior, atque amica spernens

A 2

Tam



Tam certi monita auguris, nec ipsis  
Votis dans facilem manum Paternis,  
Et cessator iners, diuque Matris  
Tam justis precibus piae repugnans,  
Jactabas tibi roboris, feroque  
Pectori superesse fat vigoris;  
Quo flammis Veneris, Deique vana  
Cor tutum penetrare tela caeci,  
Munitus Scythico gelu, vetares.  
At quo nunc abiere tot superba  
Linguae magnificae, miselle, dicta?  
Lingues, & cecidere mentis altae  
Flatus; jam patiens jugi potentem  
Exorare Deam, nefasque triste  
Aeterno obsequio piare tendis.  
O factum bene! nam calescis igne  
Te digno, atque peris amore Nymphae,  
Quae te subdere colla jam volentem  
Non dura imperio reget benigno.  
O CASPARE, toro beande fausto,  
Lectae Virginis & calore felix!  
Nam te non domuit figura, propter  
Quam fastus posuisse mox pigeret.  
Sed lento tibi quae rependat aevi



Lapsi foenore largiore damna.  
'Te BACKERIA jam tenebit ulnis,  
Inter Amstelias micans puellas,  
Parvos aurea sicut inter ignes  
Phœbi, noctis honos, Soror renidet.  
Virgo te rapuit, potens parentum  
Clarorum titulis, genusque ducens  
Longo stemmate, principes senatus  
Complexo Amstelii, atque honore raro  
Quae BACKERIA GRAVELANDIANIS  
Miscens nomina, gentium duarum  
Dotem infert Thalamis tuis superbam.  
Sed non ambitio famesque turpis  
Te commovit opum, caduca quarum  
Mentes gloria concutit minores.  
Virtus divitiis, priorque caecae  
Fortunae dubiis honesta donis  
Castitas, decus unicum puellis,  
Et nudae bonitas benigna mentis,  
Incendunt face cor rapaciore.  
Non insignia, non imago vani  
Splendoris rapuit dolosa sensus;  
Sed menti sociata rara purae  
Corporis species decorque traxit.



O felix animi! torique jam jam  
Compos Virginis, & future conjux;  
Cypris fingere qua venustiore,  
Nec possint Charites decentiorem.  
Jam te candidior vocat ligustro,  
Et nova nive purior puella,  
Phoebe, lucidior fereniorque,  
Clara cum sine nubibus refulget.  
Plumis mollior ambit en oloris,  
Et te amplectitur usque & usque inhaerens,  
Ut magis cupido magisque, lance  
Plena delicias ministret, ipsa  
Delicatio omnibus medullis,  
Magis lactea lacte, quo Batava  
Implet spumiferam juvenca mulctram;  
Et mellita magis liquore dulci,  
Quem ponunt Siculis apes in alvis.  
En, circumfiliens amata colla,  
Et furens hederæ tenacis instar  
Tactu glutineo labella mordet,  
Et læti manibus ligata Sponsi;  
Sumit millia multa basiorum,  
Et dat quæ numero carent modoque.  
Quid nunc est animi, beate Sponse?

Dic,



Dic, quæso, calor hic priora quantum  
Præstet frigora? Sed taces, renidens;  
Et mox auriculis manu prehensis,  
Blandae suavia suaviora sacro  
Pangis nectare, **COMMELINE**, Sponsae.  
Hinc læva petulantiore, collo  
Per vicina vagans vireta, toto  
Tandem corpore fusus, in cubantis  
Descendens gremium, licente solves  
Zonam virginei manu pudoris.  
O quis murmura, quis leves susurros,  
Quis suspiria, ficta quis procacis  
Linguae jurgia, pacis & duelli  
Intervalla quis, & resumta saepe  
Narret proelia nocte tam pusilla?  
Lasso corpore, viribusque donec  
Consumptis pariter, resecta leni  
Somno lumina, lividum dolebunt  
Solem tam celeri redire curru.  
At porro faveas, Diana, vultu,  
Promittens placido moras, diuque  
Noctes gaudia longiora dantes.  
Ut post legitimos amica menses  
Plenae numina commodans puellae,

Pul.



Pulchra prole torum bees pudicum.  
Custodite, precor, Dii jugales,  
Par tam compositum bene, & tenellam  
Matronae decorate honore Sponsam:  
Et quo crescat amor feracitasque  
Stirpis, praesidio levi timentis,  
Festivus genibus sedens avorum,  
Infans exhilaret Socrum Patremque,  
Qui, solatia tristis orbitatis,  
Unicam sociant utrimque prolem.

P. BURMANNUS.